



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE EO,

**QVOD CAUSÆ MORBO-
RUM ATQVE MORTIS NOBIS-
CUM NASCANTVR,**

QVAM,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
BENEVOLO CONSENSU

IN PERANTIQA ERFURTENSIMUM ACADEMIA,

SUB PRÆSIDIO

**DN.D.JOHANNISANDREÆ
FISCHERI,**

CONSILIARI ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. FACULT. MED. SENIO-
RIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED.
PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SUI COLENDISSIMI,

PRO GRADU

IN ARTE SALUTARI MEDICA SUMMO
LEGITIME ETRITE OBTINENDO MORE MAJORUM

PUBLICE DEFENSURUS PROPONET

AUTOR

MARTINUS LAURENT. FISCHER,

MARIEB. BORUSS.

AD DIEM XIX. APRILIS, ANNI clx lccc xx.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,

HORIS CONSuetis.

ERFORDIAE, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academice Typographi.



PROœMIUM.



Um nascimur, jam jam mori quoque incipimus, durationis siquidem & existentiæ nostræ initium, cum exitu seu fine, cursum vitæ nostræ efficiunt, qui per horas, dies, menses & annos mensurari solet, quot jam horas nati existimus, tot spatium temporis sumus erentiti, quo termino vitæ nostræ, id est, morti, propinquiores reddimur; quidquid etiam juxta tot inumeras Medicorum hypotheses Ars alias meritò nobilissima dicta, ad hanc fragilitatem vitæ humanæ sublevandam conferre undiqueque conetur. Hæc, post absolum studium meum Medicum Academicum, intimius mecum pensans ac recolens, thema quoddam publico examine & disquisitione dignum, pro Inaugurali Dissertatione feligere haud dubitavi,

A 2

sc.

sc. quæ ORIGO, quis AUTOR & quænam CAUSA hu-
jus perpetuo moriendi tractus adeo imbecillis vitæ
nostræ sit? cumprimis quando deprehendi, non supra
nos, id est, à rebus cœlestibus, non infra nos, id est,
terrestribus, uno verbo non extra nos tales caulas
existere ac provenire, nec frustra ingeniose, laborio-
se & artificiose petendas & quærendas esse. Quid e-
nim occultasse juvat id, quod nos in universum o-
mnes in intima nostra substantia & essentia absconditum
quidem, neutquam tamen plane incognitum &
incognoscibile deprehendimus & observamus quotidi-
die, quippe ab intra tales Morborum atque Mortis
Causas nobiscum connasci; id est, in ipso primo con-
ceptionis momento, fragilia hæcce Principia ad no-
stram constitutionem jure hæreditario concurrunt:
quod jam paucis, quantum limites Dissertationis In-
auguralis permittunt, ulterius declarare liceat, non
tam moraliter, quam potius physice atque medice.
Evidem potuisse & ego, more alias fere ubique
consveto, vel particulare aliquod Thæma Physiologi-
cum, Pathologicum, Anatomicum, Chirurgicum &c.
vel etiam specialem aliquem Casum Practicum, per
collectionem & recitationem diversarum hypothe-
sium, eclectice resolutum, speciminis loco propone-
re: Ast cum in ea firmus sim persvassione, solemni
tali in exercitio, nec propriam particularem saltēm,
nec aliorum ex præjudicio autoritatis descriptam Ar-
tis cognitionem sufficere, sed potius in omnibus Me-
dicinæ partibus æqualiter, in tali connexione exer-
citatum, hic, se quenlibet exhibere teneri, in quo ne-
xu

xii circa grabatos ægrotantium easdem partes non
speculative, sed cum utili effectu rationaliter applica-
re velit & valeat; hocce Thæma occasionem huic sco-
po sufficienter præbens feligere, ac tali methodo idem
pertractate, ut idea integræ & solidè fundatæ artis
appareat, decrevi. Ubi id unicum à L. B. obnixè ro-
gito, ne inique ferre velit, si nunc per paucas aut
nullas Autorum allegationes in hac dissertatione ob-
servaverit, non enim intendo id dicere atque scribe-
re, quod ab aliis jam scriptum & dictum præexistit,
sed meas cogitationes & meditationes quales quales,
hac de materia, homini erudito, præsertim Medico,
quam maxime necessaria cognitu, ingenuè cordato
ex animo traxi, offeram, ipsiusque benigno judicio
submittam, Divinum Numen simul implorans, ut
& huic labori sua benedictione asistere velit, quo
proximo, in hac mortalitate adhuc existenti, aliquam
utilitatem suppeditare, seu terminum Naturæ, juxta
Principia Corporis, semel connata, prudenter conser-
vare & rationaliter adjuvare valeat.

S. I.



D declarandam mentem meam & datam pro-
missionem adimplendam, de Thæmate in præ-
fatione præposito, nunc ulterius pertractan-
do, cum pace L. B. paucos per quosdam ^{hos},
præfari liceat significationem membrorum in
Thæmate contentorum, ex suis fontibus &
partibus medicinae desumptam, ut postmodum eo clarior e-
vadat deductio & probatio hujus asserti, ex reliquis artis fun-
damen-

damentis , sic necessarium esse judico , ex Pathologicis , tam de causis , quam de morbis paulisper ea declarare , quæ ad Thematis hujus veritatem eruendam & corroborandam quo modo necessaria videbantur.

S. II.

De causis , morbis atque morte distinctius jam agendum , ita causas , dum affero nobiscum nasci , non omnes hic intelligi volo in Pathologicis occurrentes causarum species , sed saltem quas propriæ autores INTERNAS aut etiam abditas vocare solent , quæ mox ab initio nostræ productio- nis ipsam substantiam corporis nostri constituunt , & juxta fundamenta antiquorum saniorumque recentiorum , sub no- mine SPIRITUUM ac HUMORUM veniunt , quorum con- stitutio in omni humano individuo , à primo nativitatis mo- mento , corrupta est , nascimur enim depravati , non integri , quemadmodum in subsequentibus pluribus demonstrandum.

S. III.

Quod autem non mox à primo initio vitæ , omnis ho- mo adeo manifeste & sensibiliter morbosus sit , non propter absentiam harum causarum internarum , sed propter deficien- tem actum , id fieri sciendum , siquidem accendentibus nunc causis , Autoribus dictis EXTERNIS , id est , rebus nomi- natis non-naturalibus , successive hæc vitia Spirituum atque Humorum delitescentia magis magisque adaugentur & tan- dem in actum deducuntur , ut sic , dum substantiam partium solidarum lacerent , morbos producant , ideo etiam dupli- citer signiri solent nomine hæres non-naturales , ut respectu prioris considerationis , dicantur causæ procatarcticæ seu primiti- væ , respectu posterioris vero occasio- nales , ex quibus mani- festè appetet , me non afferere , in universum nobis omnes connatæ causas , siquidem brevi ante nominatæ res non-na- turales extra nos existunt , & pro diversa consuetudine & vita genere , variis in locis diversimode adhiberi solent At corrupti SPIRITUS atque HUMORES , quod nobiscum con- nascan-

nascantur ; nemo refragabitur , nisi qui inconsiderate negare vellet , hominem hodie possidere corpus corruptibile animale , mente tamen præditum.

§. VI.

Hæ causæ distinctæ jam determinatæ , nobis connatae , iterum non omnium morborum causæ existunt , quare jam secundo & morborum , de quibus mihi sermo est , sequentem distinctum suppeditabo conceptum , ut omnis frustanea dubitatio & contradic̄tio evitet , quippe primariam & potissimum morborum accidentalem differentiam ubique in praxi observandam , meo judicio existimo , quæ morbos dispescit in INTERNOS & EXTERNOS , non solum ratione situs partium laſarum , cum & intime sitæ partes solidæ à morbis externis affici & occupari queant , & externus habitus corporis ab internis affectibus lœdi possit , sed hoc potius sensu , hanc differentiam clariorē evadere autūmo , si respectu causarum , illi dicantur non nisi externi morbi , qui immediate à causis externis sunt , absque interventu spirituum atque humorum , & ex supposito illi dicendi sint vere interni , qui immediate à superiori nominatis causis internis proveniunt , juxta hanc declaratam differentiam , solum , hoc præsenti in themate & dissertatione , sermo est , de morbis proprie & vere sic diætis INTERNIS , horum enim causæ semper sunt vitia HUMORUM atque SPIRITUUM noscimur connata.

§. V.

Quotiescumque nunc substantia alicujus partis solidæ , quoad suæ integratæ requisita essentialia , id est , vel quoad suam temperiem , vel conformatiōnem , vel positionem vel suam continuitatē , ab hisce vitiōsī spiritibus atque humorib⁹ immediate lœditur , tories utique morbi sunt , a causis substantiæ corporis nostri connatis , imo si talis laſio enor̄mior fuerit , ita , ut non solum symptomata leviora , sed & summe urgentia subsequantur , id est , non solum functiones naturales , sed & potissimum vitales , ac animales magis universales

versales lardantur , puta , functionem cerebri atque principii nervorum , deinde cordis pulmonumve functiones ultimato depraventur aboleanturque , quid clarus , quam quod & eiusmodi mortis causæ internæ nobiscum connate sint , ubi que siquidem deprehendes , mortem à symptomatibus urgentibus , hæc à morbis internis , hos autem à causis internis , id est , vitiis humorum atque spirituum sensibiliter produci , quæ principia hoc modo violenter à se invicem sejuncta , mortem corporis , mente simul secedente , mortem hominis introducunt.

§. VI.

Hæc breviter Pathologice præmissa sunt , ad terminos in themate contentos , juxta mentem meam satis declarandos: Ast ut & hæc Pathologica clariora evadant , fortassis nemine contradicente , jure meritoque ad Physiologiam & Physicam provocaturus , ulteriore tractationem assūmam , nemo enim præternaturel statum corporis humani rationaliter & fundamentaliter eruere , considerare , multo minus ad therapiam rationalem revocare utiliter poterit , nisi in antecessum conditionem & statum corporis humani secundum naturam exacte præcognitum habeat , ut videat quo modo & quoque à recto declinet natura , in ordinem per therapiam iterum reducenda. Hæc consideratio porro Physiologica corporis humani , ex physicis potissimum suos nanciscitur natales , ideo , quia & corpus humanum est corpus naturale , cum reliquis ex iisdem principiis ortum trahens.

§. VII.

Igitur quamdiu hæc de re melior & certior non demonstratur , huic tamdiu assentio & inhæreto sententiaz & hypothesi , quæ per rationem & sensationem , quidquid afferit , monstrat , imo si & sublimius probandi principium desideras , etiam per revelationem idem comprobat , præsertim in quæfitionibus & phænomenis rationem & sensationem superantibus , quemadmodum doctrina de principiis corporum naturalium & humani est , cuius hypotheseos brevem , suffici- entem

entem tamen , & quantum haec tenus eandem percepit , con-
ceptum & connexionem jam præmittam , ut exinde postmo-
dum ejusdem utilitas & in elaboratione hujus præsentis the-
matis & per integrum denique Medicinam Theoreticam &
Practicam appareat , qualis Medico necessaria sit considera-
tio corporis humani Physica , Physiologica & Pathologica , po-
tissimum si ad causas morborum pervenerit Theoretice & Pra-
etice , in quarum legitima cognitione & connexione , certo
certius , totum fundamentum rationalis præxeos situm esse ,
ii fatebuntur mecum , qui per longe plures annos , actu id
experti sunt . quod mihi haec tenus saltem delibare adhuc li-
cuit , nisi quis , more multorum pure empiricè , à nomine
morborum , ad nomina remediorum , fortunatam suam pra-
xim exercere velit , majori jure autem ille mihi dicitur felix ,
qui potuit morborum nostre caulas .

S. IX.

Ad hancce causarum cognitionis & connexionis demon-
strationem , hoc modo nunc progredior : Corpus humanum
(seposita tam diu mente) primam suam originem ex iisdem
principijs sortitum est , quæ ipsa primitus , & ex quibus ab
initio , hujus universi adspetabilis singula corporum genera
divina omnipotentia producta erant . Quippe terra erat sub-
stantia celesti seu ætherea intime repleta & firmiter eidem
conjuncta , prioris essentialis formalitas , in tot distinctissimis
partibus constitutivis simplicissimis consistebat , quot distin-
ctissimæ & à se invicem discrepantes proprietates sensibiles
in eadem terra tunc deprehendebantur & adhuc hodie repe-
riuntur , ita enim alia sunt magis humidæ , alia magis siccæ &
porofæ , alia magis firma & solidæ , alia magis rapidæ & alia
magis colorataæ ac facile inflammabiles ; quarum primæ sub
nomine Aquæ , posteriores quatuor vero , sub nomine Terræ ,
iterum collective sumptæ , quod veniant , Creationis historia
evincit , si jam hisce partibus Terræ constitutivis illa appli-
camus nomina , quibus per omnia secula , in hunc usque diem
plurimi utuntur Physici atque Medici , quod apparet ex Me-
dicamentorum denominatione , utpote afferendo , primam su-
perius

perius nominatarum partium terræ speciem, esse magis a-
quosam, secundam magis terream, tertiam magis lapidosam,
quartam magis salinam, quintam magis sulphuream, easdem
partes simul, purissimas & simplicissimas quidem, sed inter
se æqualiter sub forma massæ humidioris mixtas, a primo ini-
tio creationis existentes, Principi Pasivi nomine determi-
nare ideo liceat, quia eadem massa, omnibus atque singulis
Corporibus Naturalibus, materiam atque quantitatem molis
concessit, accedente ubique altero jam Principio, superius sub
nomine substantiæ celestis, seu æthereæ declarato,

S. IX.

Quod respectu prioris, Principium Activum appellata-
re concessum sit, ob suas proprietates essentialies & univer-
salem effectum, tam in prima productione Corporum Na-
turalium, quam in continuanda conservatione, illæ, consi-
stunt in summa simplicitate, subtilitate & mobilitate, quod
ex hujus Principii modo operandi, in quævis corpora natu-
ralia, & in nostram sensationem satis manifeste constat, in
quanta excellentia haæ virtutes atque proprietates adeo effic-
citer sese exerunt, ut etiam omnia atque singula corpora pe-
netrent atque repleant; hinc quoque effectus hujus Princi-
pii Activi, denominationis efficaciam comprobat, dum exi-
stente adhuc massa saltem horum duorum Principiorum, ab
activa omnipræsente voluntate divina, hocce Principium
Activum commotum & in suo motu intestino specialiter
determinatum, portionem quandam Principii Pasivi, juxta
hanc ideam à DEO concessam, pariter commoverit & ad-
certam configurationem externam similem perduxerit; quæ
Corpora Naturalia tunc in creatione mediante hocce Princi-
pio producta, in hunc usque diem adhuc dum inde sinenter
ab eodem conservantur, quod testatur temporum immuta-
tio, Vegetabilium & Animalium renovatio & multiplicatio
certis temporibus alligata, fonte nimirum hujus Principii A-
ctivi, hodierno quippe Sole, aut ad nos magis accedente,
aut à nostro climate magis recedente,

S. X.

Hæc nunc ad hominem, quoad corpus, ut utiliter applicentur, idem ex iisdem Principiis ultimato sub finem Creatio-
nis productum esse, testante Moſe, certi reddimur, ita ta-
men, ut partes constitutivæ Principii superius nominati Pas-
sivi, inter ſe adeo proportionaliter, intime & perfectè mixtæ
& combinatæ extiterint, Principio Activo in antecedentibus
dicto, ad objecta materialia diſtincte cognoscenda, & ſic ſen-
tiente ſimul præditæ, ut tale corpus ex hac ſua concreata
perfectione & Principiorum mixtione immortale, id eſt, à ma-
terialibus incorruptibile evaderet, mente ſana aliunde ab o-
mnipotente CREATORE producta, ſimulque ſuperaddita,
homo tandem integer efficeretur, in aternum absque ulla
alteratione & horum Principiorum ſeparatione, ex intentione
Creatoris permansurus, absque Caufis Morbiſcīs, Morbis at-
que ſympomaticibus, & ſic Medicina hoc tempore locum pla-
ne nullum habebat; poſtquam autem hæc Principia homi-
nem conſtituentia, videlicet Principium Paſſivum, Principium
Activum ſentiens atque ipſa Mens, per Cauſas ideales ma-
gis, quam materiales, in ſua perfectione turbari ceperunt,
etiam depravatio totius hominis, in ſpecie quoad corpus in-
troducta eſt, unde pariter ſimul Caufa Morborum internæ
immediate ortum traxere, id eſt, morboſum & mortale, hæc
Principia turbata, Corpus Humanum reddidere, (corruptionem
enim mentis moralem, ut Medicus non attingam) quod
jam pluribus demonſtrandum, & ulterius probandum mihi
incumbit.

§. XI.

Per viſum atque auditum, Principium Activum ſentiens
diverſimode & à variis Cauſis Occasionalibus, in ſuo motu
intefino, anteā tranquillo & perfecte regulari, ad irregula-
rem abruptum, id eſt, idealiter turbatum, neceſſario, ipſos
Humores intime repleſs, non ſolum in motu, ſed potiſſi-
mum in ſua perfectissima miscela, quo ad partes anteā dictas
conſtitutivas, Principii Paſſivi diverſimode exagitare atq; turbare
inchoavit; ita diversa viția hujus Principii Activi ſentientis atque

B 2

hū.

humorum, tanquam prima fundamenta morbositatis & mortalitatis vita nostræ suborta, & à primis parentibus ad suos immediatos successores propagata sunt, qui postmodum successive in hunc usque diem, hanc depravationem horum Principiorum, seu exacerbationem & accumulationem harum Causarum internarum, per tot secula magis magisque adauictam reddiderunt, per indeterminabiles species Causarum Occasionium, tam materialium, quam idealium, unde non mirum, quod, diutius durante genere humano, idem magis corruptibile & magis debilius de die in diem reddatur, quia potissima pars atatis nostra, per continuos errores circa ejusmodi Causas Occasionales, non leviter cum damno ruit, antequam senio irruente, nimis sero, ex post facto, quod dolendum! obseruemus, qua nobis proficia, vel nociva haec tenus fuere.

S. XII.

Hinc est, quod in aliorum humoribus, mihi sub nomine Principii Passivi venientibus, nunc magis partes saline diversi generis, in aliis partes sulphureæ, in aliis aquosæ, in aliis terreæ ac lapidose inter se diversimode prædominantes irregulariterque mixtæ, à primo nativitatis momento existant & insensibiliter delitescentem & absconditam diversam Causam internam connatam constituant. Äque comparatum est cum Principio Activo Sentiente, quod in omnibus hominum corporibus ratione originalis quidem essentia idem est, ast ratione depravatarum proprietatum essentialium admodum differt, dum in aliis à prima conceptionis hora, quoad motum intestinum & progressivum magis acceleratum, in aliis magis retardatum, & in aliis magis turbatum, seu inæquale, cum semine parentum communicatum, existit, & quidem cum peculiari semper aliqua idea, vel grata, vel ingrata, respectu horum, vel illorum objectorum, quare & hoc Principium Activum Sentiens, ita vitiosum & corruptum nobis à parentibus, per generationem traditum, alteram absconditam Causam internam morbosam connatam, in nobis præstat. Quamdiu igitur hæc via Principii Activi & Passivi connara, in actum non

non excitantur, sed pro sua vitiosa constitutione, substantiam partium solidarum corporis nostri eatenus nutriunt, quatenus functiones, seu usus partium harum solidarum integri nobis apparent, tamdiu sanos nos appellare hactenus fere receptum est, id est, secundum naturam, integrum esse nostram sanitatem, an vero integritas & integratatis terminus, post lapsum & depravationem natura nostra amplius usum & locum mereatur, id saltem incidenter commemorare aliisque dijudicandum hac vice relinquere volui, potius sollicitus, de ulteriori nexus Causarum Morbos & Mortem producentium.

§. XIII.

Utpote, illæ causæ superius sufficienter demonstrataæ nobiscum connataæ, tunc primum morbos & quidem internos, imo ordinarie mortem ipsam præmature introducunt, quando per perversum modum vivendi excitantur & in actum deducuntur, modo superius §o. tertio declarato, neutiquam enim extra nostrum corpus, morbi quidam fabricantur nobisque desuper cœlitus immittuntur, qui per modum qualitatis infusæ, nostra subingredenter corpora, et si etiam gravissimi, periculosisimi & acutissimi, quemadmodum pestis, fuerint, alias utique omnes tali in loco existentes, ab hac labe infici & corripi deberent, cui tamen contradicit ubique locorum contingens experientia, dum semper quidam superstites & ab hoc sic dicto contagio immunes, sani ordinarie remanere solent homines. Siquidem quibusdam causæ internæ pestis & mortis pestilentialis jam connatae videntur, quæ à causis occasionalibus ad pestem producendam necessariis, facile in actum deducuntur, & sic hominem infectum reddunt, id est, peculiaria quadam connata, & per hactenus continuatum perversum regimen sex rerum non naturalium seu vitæ, adiecta & accumulata vitia Principii Passivi & Activi, in ejusmodi corporibus præexistunt, quales causæ connatae internæ

ex opposito in aliis desiderantur, quare eorundem corpora, ab hisce causis occasionalibus haud quam affici & lœdi possunt. Ex hactenus dictis, confido sufficienter me declaratum reddidisse, à priori, per causas Physicas, Physiologicas atque Pathologicas, hominibus causas morborum & mortis quasdam semper connasci; supereft, ut & a posteriori per specia- liora quædam morborum phænomena & therapiam, idem practicè comprobetur, ut appareat rationalis connexio hujus p̄væmissæ theorizæ, cum prudenti & rationali praxi. Interè nonniſi in ſenſu medico iſtricto & ex dictamine Pathologizæ rationalis modo dicta intellecta volo: Quandoquidem de eo, quod rō Œcīr alias vocatur, hic agere propositi mei non eſt,

§. XIV.

Ad rem, putasne DEUM specialiſime ſic homines nondum natos, jamjam ad certa morborum genera & species, ita absolute determinaſſe, ut unus per plures menſes & annos, per intervalla calculo & podagra excrucietur, alter torqueatur paſſione colica iliacaque, tertius ab ulceribus foetidis & ſue gallica deturpetur, alii iterum magis morbis chronicis & alii morbis magis acutis vires & vitam atterere & amittere debeat; abſit, aliter rem ſe habere, ſequentibus phæno- menis morboſis, juxta fundamenta artis resolutis, ad ſenſum & rationem demonstrabo, plane naturaliter hæcce ordi- narie fieri debere, cum in ea conſtanter perfeverem perſuaſione, me, ut futurum Medicum Practicum, non contra ſuper- naturales, ſed præternaturales & naturales res, naturalibus per artem adaptatis remediiſ, naturaliter & rationaliter fore aſtūrum, qua propter pacē tua, Lector benebole, ſequentes morbos naturaliter & rationaliter ſolutoſ, tibi probationis lo- co offerre licet. Equidem non fingam caſuſ quoſdam, cum circumſtantiaſ nunquam exiſtentib⁹, ſed ſimpliſcie morbi conceptum omnibus autoribus conſuetum ponam & exinde reſolutionem deducam, ad thematiſ praefentiſ ulteriore con- firmatiōnem & ejusdem utilitatiſ declarationem.

§. XV.

Frigore per totum habitum extēnum corporis diſſuſo, ad di- mi-

dimidiā horām , quo finito , calore per aliquot horas dūrante , correptum deprehendimus , aliquali simul conjunctō dolore capitis , siti & leviori inquietudine , quā tamen omnia intra sex horas plenarie evanescunt , ita ut omnes functiones integrā iterum adsint , juxta vulgi & Prædicorum jam unanīmem confessionem , descripta symptomata , sub nomine febris venire solent , & quidem intermittentis , si porrō paroxysmi recidiva , tertia die iisdem horis , aut quarta die incidat , specialissime FEBRIS TERTIANA aut QUARTANA appellatur : jam quaritur , cur unus alterve quotiescumque febri intermittenti , nonnisi tertiana afficiatur , tertius quartusve circa certa anni tempora , solum febri intermittenti quartana excrucietur , imo ut propinquius accedam ad veritatis fundamentum , duo uno eodemque temporis momēto , uno eodemque modo , circa unam eandemque causam occasionalem , seu rem nonnaturalem enormius peccant , quorum tamen unus corripitur graviori tertiana , & alter moleſſiori quartana ; quā jam ratio hujus plane diversissimi efficitus & affectus , seu stylo autorum , merbi? necessario intra corpus hotum febricitantium , non extra idem , eadem quārenda , cum externa , modo superiorius demonstrato , omnia æqualia & eadem sint , ergo hæc inæqualitas & differentia quādam intrinſeca esse debet , quā meo arbitrio , in ipsa diversitate Principii Activi sentientis & Principii Pasivi , hujus utriusque individui corporis , id est , in diversis vitiis spirituum atque humorum consistit , quā diversimode in actum excitantur , ab una eademque cauſa occaſionali , ac juxta men-tem autorum , per temperamentum seu præexistentem dispositionem naturalem , non incongrue explicari solet , ur hinc vere aſſerere ac demonstrare queam , causas basce internas diversæ præexistentis dispositionis , temperamenti & diversissimæ speciei hujus febris , cuicunque individuo febricitanti con-natas esse .

§. XVI.

Pari modo etiam de febribus acutis , ardentibus atque malignis judicandum , quod non omnia ſubiecta humana ab hisce

hifce, vel non æqualiter, vel plane non invadantur, quot enim non existunt satis adulti atque senes, qui quidem hos aliosve aliquando sustinuere morbos chronicos, ast acutorum nunquam candidati fuere, & sic vice versa, tales innotescunt homines, qui levissima etiam data caufa occionali, mox acutis morbis ac symptomatibus urgentissimis corripiuntur, ab omni chronicò affectu per integrum vitam haec tenus liberi existentes; quid magis exinde comprobatum reddi potest, quam quod ex hisce diversis morborum generibus, necessario distinctæ quoque causæ, in ipsa substantia corporis delitescentes præsupponendæ sint, quæ magis ad hanc, vel ad illam speciem morborum aptæ sunt producendam. Quod autem tales causæ etiam connatae sint, hinc confirmatur, dum & inter infantes, talis distinctus modus & differentia ægrotandi quotidie observatur, non omnes unius ejusdemque generis morbis decumbere nec succumbere, ut ita libenter concedam, in adultis per irregulare vitæ genus, hæc principia sui corporis corrupta, de die in diem semper magis atque magis depravari, unde causa tales morborum ab initio connata, per acquisitam hancce depravationem tamen non immunitentur, sed fâltem quoad gradum adaugeantur, nam, quod hic vel ille hominum, ad hoc speciale genus vitæ perversum inclinet, ac in specie, hac vel illa esculenta & potulenta avidius appetat, quæ postmodum talem depravationem introducunt, utique non aliunde deducendum, quam ex ipsis principiis corporis, seu causis sanitatis & conservationis, mediantibus quibus, organa animata & viventia, inter reliquas functiones, etiam appetitum & desiderium peculiare aliquod producunt, & sic jam hæc causa morborum internæ successively per diætam aductæ, tamen ab initio connata fuerunt. Ne vero quis, hæc omnia elegantis speculationis fâltem speciem præferre, nimis festinanter judicet, utilitatem in ipsa applicatione & curatione, talem demonstrurus, juxta hancce theoriam, nunc paratus sum, qualis & famæ & conscientiæ Medici, & saluti infirmi, non levius solatium & commodum suppeditare potis erit, quam aliorum particularis observatio.

S. XVII.

Nonne verum est , ex auditu nomine febris intermitte-
tis , mox potentissima specifica antifebrilia longo ordine in
usum trahuntur , pro diversa tamen cuiuscunque practican-
tis peculiari observatione , unus Herb. Absynth. Scolopendr.
Lign. Colubrin. alter Card. bened. Centaur. min. sem. finap.
tertius Rad. Chin. Chin. Cichor. Gentian. quartus Orum.
Fuligin. Θυρ. Ωrum Φli philosoph. & plura alia s̄pe
in satis tediosum opprobrium artis & artificis exhibent & ad-
hibent , quājuxta alphabeticum ordinem in Practicorum scriptis ,
magis commode legi possunt ; hic saltem quāro , cur antife-
brilia sint , & non sint antifebrilia , & ubi unum aliquoties
effectum expectatum pr̄stiterit , tandem in quinto aut sexto
subjecto idem amplius non valet , & aliud remedium , in aliis
subjectis , bis terve frustra adhibitum , nunc in pr̄sentī sub-
iecto egregium & efficacissimum iterum evadit antifebrile ?
cujus fallaciaz & incertitudinis hancce rationem genuinam es-
se , meo judicio , cum pace aliorum , existimo , dum ex semel
introducto pr̄judicio , febris pro morbo venditatur , ex cuius
nomine Indicatio sic dicta curatoria nominalis desumitur , de
reliquo non attendendo ad cai. las , pr̄sertim internas abscondi-
tas connatas , seu peculiarem corporis , quoad sua principia &
elementa , constitutionem , unde tamen quemadmodum o-
mnium , sic etiam in pr̄sentī febribus rationalis medela peti-
potest ac debet , quod juxta theoriam ante pr̄missam , hunc
in modum brevissime declarare concessum sit ,

Quippe febrem quamcumque in sensu vulgari sumtam
non esse morbum , sed saltem symptomā morbi alicuius pri-
marii pr̄ecedentis , ad hanc assertionem comprobandam pro-
voco ad illas febres & à practicis ipsis nominatas symptomā-
ticas , quarum morbi primarii magis manifesti & sensibiles sunt ,
ita ingruente podagra , tumultuante calculo , pungente pleu-
ritide , imo inchoante omni inflammatione graviore , paro-
xysmus febrilis simul sese ordinarie fistit , qualis febris ne-
mine contradicente , symptomā nominatur , & ut symptomā

in curatione non usque adeo attenditur, quia primarii superius nominati affectus satis innoteſcent & indicationem curatoriam ſuppeditant, juxta vulgarem praxin ſufficientem, quis enim in calculo, podagra, pleuritide, eryſipelate &c. remedia antifebrilia ſolum adhibere vellet, certe perverse talern curaffe quilibet judicaret, etiamsi febris adſit: Adhuc clarius assertum meum conſirnabit vulnus, fractura gravior, luxatio &c. quibus plerumque febris coniuncta exiſtit, ut ſymptoma ac ideo ſpecialiter febris vulneraria dicta, a vulnere, fractura luxatione que dependens, & cum iisdem affectibus legitime fanatis, per ſe quoque ceſſans, absque omnibus ſpecificis antifebrilibus, aut aſſerrare deberes, repositionem membra luxati eſſe remedium antifebrile, pariter vulneris ſanationem & consolidationem, & oſſis fracti repositionem & reunionem quod tamen contra rationem foret.

§. XIX.

Ex quibus ſequentem conſluonem elicio, ſi in calcu-
lo primario affectis renibus, in podagra primario affectis articulis pedum, in pleuritide primario & particulariter affecta pleura, in vulnere, fractura luxatione &c. primario affecto brachio, crure pedeve, ſi inquam ex hilce partibus primario laſis, febris introducta, non morbi ſed ſymptomatis meretur nomen, cur non etiam de reliquis partibus ſolidis, prafer-
tim internis idem afferendum, ita ut & inflammatio & vulnus & dolor ventriculi, intestinorum, lienis, vefix ~~riæ~~, diaphragmatis, pulmonum, cordis &c. &c. pari modo febrem producere poſſint, ut ſymptoma, imo quid impedit quo minus afferam, in omnibus jam febribus, alium affectum ut morbum primarium praecedere, id eſt, alicuius partis ſolidæ magis abſcondita ſubſtantiam primario laſam exiſtere, etiſi hicce morbus primarius non ſemper in ægro vivente conſpicuit evadat, ac ideo medicum fallat, quia alium verum morbum, nec vi-
det nec tangit. Cujusmodi morbi primarii, in febribus po-
tissimum acutis malignisque imo per quam ſaþe in febribus in-
termittentibus pars affecta durante curatione abſcondita, poſt
extinctum ægrum per diſectionem cadaveris, tandem con-
ſpi-

spicua evadit, dum non sine peculiari admiratione hanc vel illam partem internam inflammatam, induratam, sphacelatam ac diversimode corruptam, Practicus haec tenus incertus, deprehendit, & sic à posteriori, febrem antea pro morbo habitam & curatam, in solarium futurorum febricitantium, oculariter pro symptomate agnoscit & declarat, suamque curationis fidelem intentionem deceptam & spe & promissione ægroti data, frustratam satis legitime excusat, ja wer hat es gedencken sollen, oder wer hat das wissen können? addo, quare nunc vomitoria, nunc purgantia, nunc sudorifera, nunc dolorem inflammationemque sedentia, nunc amara, nunc falsa, nunc acida, nunc lapidosa, nunc volatilia, nunc fixa, nunc spirituosa atque innumera alia, diverso tempore, existunt antifebrilia? rationem determinat, non solum diversa pars affecta à primario morbo, in quam hujus vel illius generis medicamenta magis aptè operantur, sed etiam ipsa potissimum diversitas causarum internarum, ex temperamenti constituti constitutione resultantium, horum sibi plane contrarium medicamentorum æqualem & eundem effectum declarat, quod antifebrilia ab effectu quidem dici mereantur.

§. XX.

Modus autem, tot diversissima remedia antifebrilia rationaliter adhibendi & nexus eorundem operandi, sic se habet. Principia seu elementa corporis, cuicunque individuo humano connata, depravata praexistunt, vel ratione sua quantitatis, vel sua qualitatis, qua depravata constitutio, si enor-mior redditia fuerit, ab aliquo errore commisso, circa hanc vel illam rem nonnaturalem, ita ut in hac vel illa partis solidæ substantia lassionem introducat, morbum habes, ex qua substantia lassa diutius durante, etiam motus Principii Activi sentientis & Passivi, id est, spirituum atque humorum irregularis sese diffundit ad cerebrum atque cor, & exinde universaliter atque irregularis magis per totum corpus, unde ex frigore & calore per habitum externum corporis sese exercente, & pulsu irregulari febris cognoscitur, delitescente morbo primario, qua horum principiorum qualitas & quantitas di-

versimode vitiata etiam variam atque variam sui emendationem postulat. Si jam ergo quis febricitanti tale exhibit remedium , morbum primarium quamvis ignorans , quod directe & accurate, illa vitia principiorum, quæ causæ morbi primarii existunt, legitime emendat, utique manifeste antifebrile evadit , empirice.

§. XXI.

Quod per specialem subsumptionem nunc magis illustrandum , verbi gratia : Occurrit subjectum temperamenti magis accelerati , id est , cuius Principium Activum sentiens à prima nativitate , in motu magis accelerato intestino & progressivo perpetuo existit & in cerebri , & in reliquarum partium solidarum substantia , qualem motum acceleratum adjuvat & conservat ipsum Principium Passivum , respectu diversarum suarum partium constitutivarum , inter quas ab initio hujus specimenis enumeratas, nonnisi salinæ diversi generis atque sulphureæ potissimum attendenda sunt , in quantum respectu reliquarum excedunt & prædominantur ; quod assertum exinde comprobatur , dum in tali subjecto omnes & singulæ functiones , etiam secundum naturam contingentes ratione aliorum subjectorum magis acceleratae observentur : hæc vitoſa qualitas Principii Activi sentientis , & quantitas & qualitas simul Principii Passivi vitiata , delitescunt absque ullo effectu præternaturali , tamdiu , donec res quedam non-naturalis seu causa occasionalis accedat , quæ vel materialiter vel idealiter , hæcce delitescentia vitia , seu causas internas connatas vehementius exagitat & in actum dedit , & quidem materialiter , quæ salia & partes & eas adaugendo , commovet , idealiter autem , quæ facile ingratam & adversam sensationem Principio activo sentiendi imprimit , si nunc ex hisce commotis causis internis speciali aliqua in parte vel externa vel interna exsurgat læsio , ut morbus primarius , febrem modo superius indigitato , ut symptomata producens .

§. XXII.

Quæſtio jam est , quænam remedia , non empirice sed rationaliter adhibenda , non immediate contra febrem sed morbi

bi primarii contra causas facile quilibet colligere poterit, non antifebribus ut china de china , carduo benedicto, centaur. min. aut aliis amaris, odoratis, volatilibus, spirituosis &c. fru- stra tale subjectum vexandum esse , non levi cum damno, sed indicantibus ex causis, manifeste tales fluere indicatio- nem seu conclusionem, ergo partes salino sulphureæ , pro sua diversa vitiosa conditione agentes & abundantes, tempe- randæ & imminuenda; porro motus Principii Activi sentien- tis accelerans nimium (nempe si symptomata urgentiora ad- fuerint) moderate & proportionaliter compescendus, hisce enim emendatis causis internis omni procul dubio cessabit & affectus primarius seu morbus & symptoma seu febris absque ullis specificis atque appropriatis.

S. XXIII.

De Indicatis , hunc effectum præsturis, adeo sollicitum & anxie laboriosum, non oportet esse Medicum , si modo classes Materiæ Medicæ rite constituta fuerint, ita, ut tituli harum clasium, corrispondent Indicantibus seu Causis inter- nis, & substantiæ remediiorum, essentia Causarum interna- rum, nam pulvere quodam nunc magis lapidoſo, nunc ma- gis terreo, nunc magis gelatinoso & glutinoso &c. aliquoties adhibito , pro necessitate rei, simul cum fluidis diluentibus, ac altera vel tertia die superassumpto mitiori Laxante , qui- bus bis terve die intercalari repetitis, egregium specimen Cu- rationis Antifebrilis, quis præstabit, licet talia remedia inter antifebrilia, alias non enumerentur, præsertim si ha Causæ internæ connatae , seu vitia Humorum atque Spirituum, in primis viis primario in actum concitatæ fuerint, si enim for- tas in viscere aliquo magis remoto ab hisce primis viis, ex- dem Causæ internæ primario exagitata fuerint, quocunque modo, verbi gratia, per minimum motum corporis, per admis- sionem frigidioris vel aeris vel potus, post insigniorem in- calefacientiam præcedaneam, Laxante, non adeo singulare le- vamen præstabitur ægro, licet Indicatio permaneat eadem, quippe vitium Humorum abundans imminuendum,

C 3

S. XXIV.

Quia via minus ad imminutionem apta, per intestina nimis remota, & per consequens incongrua erit, quare magis commoda excernendi & imminuendi via est, habitus corporis, per fluida mitiora Diaphoretica ad sudorem dispositus, & leniori, proportionaliter addito remedio, motum spirituum acceleratum competente, præfertim si urgenter quoque adfuerint symptomata: & hoc modo ex Causarum internarum connatarum legitima cognitione & respectu earundem remediiorum convenienti applicatione, & jam reliquarum Febrium omnium specierum explicationem & Curationem demonstrare & adornare possem, si præsentis instituti ratio, id permitteret; proinde breviter saltem, uno altero, aliorum affectuum, assumpto exemplo, idem adhuc ulterius comprobaturus sum, ad Thematibus corroborationem.

§. XXV.

Cum magis sensibilia faciliorem reddant probationem, juxta Autorum sententiam, externum quendam affectum assumere liceat, quippe Erysipelas dictum, quo iterum non omnes homines corripiuntur, sed certa saltē subiecta, necessario quandam dispositionem præexistentem in corpore foventia, ad talem affectum præternaturale producendum habilem, id est Causæ internæ Erysipelas efficiētes, jam a prima nativitate coexistunt cum ipso subiecto, ac in peculiari bus pariter virtutis Principii Activi Sentientis & Principii Passivi consistunt, quæ à Causâ Occasionali in actum excitata, substantiam hujus, vel illius partis solidæ laddunt, ut intumescat cum rubore, dolore ac calore exquisitissimo & vix tolerabili, febrili & stu anxietyibusque cordis sifipato, qualis Tumor ordinariè ad morbos externos referri, ac ideo Chirurgorum directioni & curationi de facto tradi solet, an vero de jure sequentes rationes me dubium reddunt, cum à priori manifestum sit, huncce affectum non immediate à causis externis fieri, sed potius ab internis ordinariis, deinde per sola externa, (si nimis in tantum exquisitius tale erysipelas fuerit,) nunquam curari debite & convenienter, sed potissimum

mum curationis fundamentum confidere in internorum remedium rationali exhibitione , quod ulterius à posteriori cum danno irrefarcibili multorum , ex quotidiana corroboratur observatione , quales membrorum enormes deturpationes sape introducantur & permaneant , à sola manuali externa remediorum applicatione chirurgorum , imo quis negare vellet , & in ventriculo , intestinis , utero & renibus &c. erysipelas continere posse , cum & inflammatio[n]es & causæ inflammationum in iisdem quotidie reperiuntur partibus , quale erysipelas contradictione diceretur morbus externus , proinde absit , ministris medicorum , tales & similes morborum internorum curationes velle concedere , absque ingenti præjudicio artis.

S. XXVI.

Ergo cum saltē sint peculiares subjecta , huic affectui obnoxia , ac peculiares quoque nonnisi occurrant causæ occasio[n]ales , in hisce & non in aliis subjectis , talem inflammationem producentes , hoc peculiare jam demonstrandum , quod in ejusmodi hominibus hereditarium quid sit , & quo modo causas hactenus connatas dictas constitutat , ex natura autem & proprietatibus essentialibus ac modo agendi causarum occa[sion]alium , facile declarari poterit constitutio & conditio harum causarum internarum connatarum , utpote ordinarie pathemata animi vehementiora , ex improviso contingentia , illæ sunt res nonnaturales , quæ intra breve temporis spatiū talem tumorem cum inflammatione satis drepente introducunt , videlicet ira atque terror , quæ causæ occasio[n]ales idealiter in sensu externo & per hos in internos ac consequenter in cerebri incolas violenter operantur , eorundem motum turbantes vel retardando , vel etiam accelerando intra cerebrum , ex quo per principia nervorum ad omnes & singulas corporis partes , idem motus depravatus & turbatus propagatur , unde in substantia partium , humores circulantes in suo pariter motu alterantur & turbantur , ut hinc inde subsistant in refluxu suo , tumoremque superitas descriptum immediate producant ; ex hisce duo elicuntur consecaria , I.) Inflammationem talem erysipelaceam dupli fieri debere modo , ali-

ter

ter per terrorem , & aliter per iram . II.) Hanc itam & terrorem , talia vitia humorum atque spirituum , tum primum non efficere , atque intra corpus introducere , sed eadem jam in eodem præexistere , cum inclinationes & pathemata animi talia à naturali constitutione dependeant , ut hic magis ad iracundiam à natura , alter vero ad terrorem perpetuò impellatur , quæ constitutio in hisce causis internis cunctatis consitit .

§. XXVII.

Ne etiam utilitas in Praxi , hujus Causarum distinctionis cognitionis , adeo levis alicui videatur , ex eadem demonstratur sum , longè majori cum securitate à Medico , quam à Chirurgo tractari posse , ac debere Erysipelas , cum posterior non nisi nudam externam cognitionem rei habeat , & sic superficialem saltem medelam adhibet ; Medicus verò , hanc internarum Causarum conditionem modumque ab intra laddendi substantiam partis diversum pensans , tot diversa existentia remedia & externa & interna , contra erysipelas per experientiam singulatim quidem comprobata , magis rationabler & utiliter adhiberi novit , dum in graviori & periculofiori præsertim casu , externis parum aut nihil praestari posse , sed potius internis rem expediendam esse , a priori judicat , si ex causa occasionali cognoverit , tali subiecto , Principium Activum sentiens tale connatum esse , quod in motu suo accelerato & fluctuante , facile ab objectis externis , etiam levioribus alterari & turbari potest , deinde tale Principium Passivum per hereditatem obtinuisse , in quo & partes sulphureæ & salinae diversi generis magis minusve , pro vehementia symptomatum urgentium , prædominantur .

§. XXVIII.

Ubi jam per terrorem , subito & ex improviso tale Principium Activum Sentiens , in organis sensoriis animatis momentaneè obstupefecit , id est , in suo motu intefino fissitur & retardatur , magis minusve pro conditione objecti terreni , exinde talis motus irregularis , quo vehementior , eo cito & magis momentaneè , communicatur ipso Principio Activo Sentienti , sive in nervis opticis , sive acusticis , sive alibi

exi.

existenti, & hoc ulterius propagat talem motum retardatum & diffundit per substantiam Cerebri & Spirituum inhærentium, quorum motu intestino hæsitate & interrupto, siue retardato, necessario influus, seu progressivus, ex substantia Cerebri, per principia Nervorum, ad partes corporis, idem & eodem modo retardatus evadit, unde fibrae nerveæ, substantiam partium subingredientes, suoque nisu & renisu, motum sanguinis regredientis insigniter promoventes, relaxatæ & flaccidae redditæ, sanguinem præternaturaliter in parte colligi sinunt, qui sic particulariter abundans, non solum ratione Quantitatis, tumorem rubicundum producit, sed etiam ratione Qualitatis vitiosæ diversæ, varii generis symptomata, nunc magis, nunc minus urgentia efficit, ut calorem, dolorem magis minusve ardentem.

S. XXIX.

Alia longe ratio est, si tale Erysipelas, ab ira & incandescentia vehementiori introducatur, hoc modo enim plane in contrarium, Principium Activum Sentiens, in organis sensoriis commovet excessive & vehementius, ut in tota substantia ab initio organi, Principii hujus Activi motus summe acceleratus introducatur, ac eodem modo, uti in superiori phænomeno ad partes corporis propagetur, unde haec fibrae fibrarum simplicissimæ nerveæ, per substantiam partium dispersæ, a copioiore & tumultuosiore spirituum animalium, sub nomine succi nervei affluxu magis in latitudinem extendantur & in longitudine abbrevientur, quo ipso exitus sanguini regredienti præcluditur, ac successive pro vehementia hujus motus spirituum accelerati, nunc citius nunc tardius colligitur, particulariter abundans, & partem intumescere facit, cum longe gravioribus symptomatibus, quam in superiori casu: ex qua distinctione causarum internarum earundemque modi operandi consideratione, levius negotio illa conciliari inter se poterunt, quæ apud practicos sibi invicem contraria, per particularem observationem tamen vera deprehenduntur, imo ex diversis particulariter observatis remedis contra erysipelas non amplius arduum erit, feligere & rationaliter dijudicare,

D

quod-

quodnam remedium nunc huic nunc illi nunc tertio subiecto magis conducibile à priori concludendum ; ubi & quomodo nunc folia anagallidis aquatica, solani, flores sambuci, malva arborea, sperma ranarum, cortex mandragora &c. &c. ubi & quomodo e contrario folia fabiæ, resina myrræ, lapis medicamentosus Crollii, spiritus c. c. volatilis, ΘΧci ððsus seu aromaticus, TR. bezoardica &c. ubi & quomodo oculi c. c. fine ΔΔe ppt. unicornu fossile, ebur f. ΔΔe ppt. mandibuli lucii plicis, gium diaphoret, chalybeata &c. interne & externe præscribenda & applicanda , ubi probe notandum, quod & ipsa unius , aut alterius generis remedia , non semper eundem præstent effectum , etiam in ejusdem generis subiectis , quemadmodum enim hæc subiecta unius quidem generis , tamen gradu inter se differunt , ita quoque gradualis differ entia remediorum , accurate observata , feliciorem redet curationem , non solum quoad remedia externa sed etiam interna ; juxta causas indicantes internas determinata.

S. XXX.

Qua de causa paucis declarandum , & huic affectui quomodo convenienter succurrendum , ac utiliter ex consideratione hujus thematis medendum , si juxta causas internas connatas, i. e. peculiaria vitia humorum atque spirituum cura instituatur , quippe in priori casu , ubi Principium Activum sentiens primario & potissimum per motum retardatum alteratum fuit , & sic Principium Passivum vitiatum , in hac vel illa parte sub nomine sanguinis stagnans & collectum seu distinctius particulariter abundans , tumorem fecit , tales indicationes instituendæ erunt ; motus spirituum magis minusve retardatus proportionaliter & adæquate excitandas , deinde humores particulariter abundantes , pro sua diversa conditione temperandi & imminuendi : ex quibus appetet , quod aliquando diversi gradus sudorifera utramque indicationem simul absolvant , nam & motum spirituum excitant & vitia humorum , sive talia sudorifera humida , sive Vera , gelatinosa , glutinosa & lapidosa fuerint , temperant & imminuunt , ubi non adeo urgentia adfuerint symptomata , qualia ordinarie in alte-

-boup

10

ro casu observari solent, utpote caior non solum particula-
ris in parte affecta, sed etiam universalis per totum corpus lon-
ge molestior, sub nomine febris continua, deinde dolor acu-
tus, urens ac pungens &c, hinc aliter indicationes instituendæ
erunt in hoc casu, quam in priori, verbi gratia: primaria
indicatio est mitigatoria, desumpta ex symptomatibus urgen-
tioribus, non quoad nomen, sed potius quoad causam co-
rundem, qua consitit in motu spirituum summe accelerato,
ergo hicce motus summe acceleratus proportionaliter compe-
scendus.

§. XXXI.

Cum autem talis Spirituum motus introducatur, ab ipso
Sangvine, quod totam substantiam particulariter abundan-
te, quod comprobatur Tumor rubicundus, etiam hæc Causa
antecedens horum symptomatum, sui peculiarem Indicatio-
nem postulat, præsertim si talia symptomata sese per totum
aliquid extendant membrum, ita, ut vel Gangraña in parte
affecta, vel inflammationes consequentes partium magis in-
ternarum connexarum, in specie per vasa sanguifera sese dif-
fundentes, sensibiliter metuenda fuerint, tunc necessario ta-
lis imminutio instituenda, qua Indicanti huic excessivo con-
formis est, id est, nec diluentia & mitiora sudorifera supe-
rius indigitata, imo nec reliqua sic dicta Resolventia & Dis-
cutientia sufficiunt, sed talis imminutio tunc magis spontanea &
sensibilis esse debet, cuius imminutionis Indicatum non nisi ex
fonte chirurgico, per sic dictam venæ sectionem ventilatoriam,
seu particularem imminutionem adornatur, quod ex parti-
culari observatione à posteriori & Practicorum scripta testa-
buntur; quo factò Indicatio Curatoria, non ex nomine mor-
bi, id est, Erysipelas, instituenda, sed iterum ad Causas in-
ternas juxta Temperamenti conditionem, id est, connatas
regredendum, qua nunc ulterius, sub nomine vitiosorum
Humorum atque Spirituum, in inversa serie considerata, e-
mendandæ, ita, ut sanguis immediate & proxime Tumorem
efficiens, in sua qualitate vitiosa temperetur, & quoad quan-
titatem particulariter abundantem convenienter imminuat,

D 2

dein-

deinde ipse motus Principii Activi Sentientis insiti adhuc aliqui modo acceleratus superstes, plenarie compescatur, quod per remedia superiorius fluida ac mitiora Diaphoretica, cum proportionalibus Anodynis legitime præparatis, effici poterit, si nimirum subjectum tale non fuerit, stylo Autorum, Cachymicum, alias enim nec hisce intentio Medici & ægroti adimpleretur, sed potius Cura magis universalis ac in specie primarum viarum suscipienda, per Temperantia, Præcipitaria, Absorbentia &c. &c. pro conditione diversarum partium constitutivarum Principii Passivi abundantium, interposito Laxante mediocri, quibus ad tempus rationaliter continuatis, superiorius adducta, reliquum absolvant, pro circumstan- tiarum remanentium diversitate.

S. XXXI.

Et in intestinis inflammationem contingere, superioris §. XXV, indigitatum, quod occasione sic dictæ Dysenteriz, brevibus porro declarandum, & hancce excretionem adauertam & depravatam seu cruentam, ex iisdem Causis internis connotatis originem trahere, & quidem non ut Morbum, sed ut Symptoma iterum, nam quomodo quæso, ipsa excretio intestinorum præternaturalis introduci potest absque læsione substantiaz intestinorum? hæc læsio autem intestinorum à semet ipsa fieri nequit; quidquid ergo substantiam intestinorum lædit, illud Causæ nomen meretur, hæ Causæ internæ connataz verò, per pravum vitæ genus adauertæ, ac à Causis Occasionalibus in actum excitataz, sunt vitia Principii Activi atque Passivi; læsio jam substantiaz intestinorum, ab hisce Causis introducta, est ipse Morbus, Functio, seu usus intestinorum, id est, excretio læsa, est Symptoma, à priori hoc modo comprobatum, quod confirmant ipsa fundamenta generaliora, nemini, nisi Empirico & ignorantí odiosa, actio seu functio læsa Symptoma est, quia sequitur læsionem functionis, seu morbum, tanquam umbra suum corpus. Quod jam tale subjectum, casu & fortuito, à Dysenteria corripitur, haud credas velim, nisi enim naturalem præexistentem dispositionem, ad suscipiendam Dysenteriam præ se ferret,

nun-

nunquam dysentericum evaderet, aut alias pariter reliqua subiecta omnia, ab iisdem causis occasionalibus ad dysenteriam vulgo morbum contagiosum, disponi deberent, cui tamen contradicit res ipsa quotidie contingens, multa non infecta & sana absque illa lascione remanere subiecta,

§. XXXIII.

Paucis, meo arbitrio res sic se habet: Aciores stylo autorum humores diversi generis, (quoniam diversa subjectorum existunt genera) constituant lympham intestinalem, quæ vehementius substantiam intestinorum sensu exquisito praeditam stimulans ac vellicans, primum Principium Activum insitum seu jam tum in substantia existens, in motum acceleratum abripit, ita ut affluxus hujus Principii Activi sentientis & sanguinis longe copiosior quam secundum naturam contingat, hinc fibræ intestinorum in sua latitudine extenduntur, ac in longitudine abbreviantur præter modum sanguinem particulariter abundantem colligentes, cum majori minorive gradu caloris ac doloris, pro diversitate hujus vitiosæ lymphæ intestinalis, in quibus juxta autorum descriptionem inflammatio nis consistit formalitas, & sic inflammatio morbus est, functionem excretionem intestinorum lasciam ut umbram, post se trahens, hoc modo fibræ intestinorum, dum quoad longitudinem abbreviantur, ex copiosiori affluxu & spirituum & sanguinis & quidem tam longitudinales quam transversales, necessario intestina coarctantur, & quicquid in cavitate intestinalum continetur, tale quale existit, sed longe magis dilutum, a copiosiori lympha affluente ab initio excernitur copiose, imo excessive donec symptomatis urgentibus aduentis, cruenta hæc excrementa evadunt, ac tandem ultimato purulenta & filamentosa, quod sic fieri mihi concipio: sanguis extremitates arteriolarum, in substantia intestinalium convolutas, sub nomine glandularum, adeo diffundit atque ampliat, quoad orificia, ut non subtilior pars sanguinis constitutiva sub nomine lymphæ, amplius saltēm transgrediatur, sed ipse sanguis floridus, quoad totam suam substantiam permeat, cavitatemque intestinalum subintret, continuante hoc calore

D 3

do.

dolore & ardore , etiam ipsa substantia sanguinis & intesti-
norum resolvitur , id est à motu spirituum , in sanguine ex-
istentium , summe accelerato , partes constitutivæ sanguinis
in sua miscela turbantur , unde sanguis colorem rubicundum
amittit , & in diversi generis alium commutatur , sub nomine
materia purulentæ , in qua partes salinæ diversi generis sui
juris magis factæ , ab acceleratore Principio Activo sentiente
vehementius commotæ , pungendo , vellicando , distorquen-
do , solutionem continui substantiæ intestinorum introducunt ,
quaæ genuina & vera , si qua redi potest , ratio est excretio-
nis intestinorum feculentæ , purulentæ , cruentæ ac tandem
filamentosæ ,

§. XXXIV.

Et hisce adductis judicare possumus , quid sibi velint pom-
poza illa , miraculorum adinstar efficacia specifica & arcana
anti-dysenterica , coriantur quoque difficultates circa curatio-
nem in hoc morbo contingentes , & unde Practicis spe
fatis molestæ & cognitæ , quemadmodum non danda sunt
adstringentia , non danda sunt dulcia , non danda sunt
acida , non danda sunt frigida nec spiritosorum satis secu-
ra est applicatio , & hisce omnibus cautelis practicis scrupulo-
se , anxie & cum summa animi inquietudine adhibitis ta-
men ut plurimum , graviori in casu vitam exercnit æger , præ-
ter spem & opinionem , eundem gemebunde deplorantibus
adstantibus & medico obstupescente , dicam quid hac de re
sentiam , quippe dysenteria nomen cum pro morbo vendite-
tur , ita ut existimant plurimi Practicorum hancce dysenteri-
am ut morbum immediate & simpliciter curari posse , si mo-
do talia remediorum collectanea adhibuerint , quaæ aliquando
in simili affectu , proficia fuisse observata fuere , unde ob-
servations , praxesque rariores & infallibilis , quoad titu-
lum dysenteria volvunt & revolvunt , inventaque arcana o-
ptima spe & fiducia freti , exhibent & adhibent , ratio , quia
circumstantia externæ hujus affectus aliquali modo conveni-
unt , cum historia ab Heurnio , v. g. Platero , Sylvio , Willisio ,
Helmontio &c. annotata , ergo hoc remedium præsenti dan-
dum

dum ægrotō, quamvis nulli autorum nominatorum forte cognito; imo an præsenti Medico innotescat, talis ægrotantis natura atque constitutio, inde apparet, dum alios in conſilium vocat eorundemque ex scriptis mutis, quid de præsen-
ti ægrotō sentiendum, fedulo querit.

S. XXXV.

Ait, si symptomatum, noscerent tales Præciei, nullam dari Indicationem, nisi saltē urgentium, neque horum Indicationem directam & immediatam esse, sed saltē mitigatoriam seu palliativam, ut rationalis Medicus nanciscatur morā sufficientem, morbo primario medendi, ne Symptomatisbus urgentibus pereat ager, antequam morbus curatus sit; dicis & Dysenteria vehementior gradus, utique Symptoma fatis urgens est, sit ita, tamen me non urget, ut pro morbo agnoscam, & sic aliter respiciendum sit quam Symptoma, quod jam pro sua conditione amplius nihil indicaret, quam sequentem in modum: excessiva alvi excretio, est imminuenda, unde Indicata forent omnia alvi fluxum imminuentia, supprimientia & adstringentia, qualis autem ex hac Indicatione instituta, sequatur effectus, testatur cuicunque propria sua Praxis; unde ad minimum concedendum existimo, non Dysenteriam curandam esse, sed alium primarium affectum ut Morbum, & quidem non juxta nomen nudum, sed potius juxta ejusdem causas internas, originaliter connatas, distinctissimas, pro diversitate subjecti discrepantis. Hoc modo certo certius spondeo, me exacte demonstraturum (si præsentis instituti ratio permitteret) fore, omnes Classes Reomediorum quondam fuisse, & esse posse ac debere Anti-Dysenterica, cum Dysenteria à Dysenteria differat, quotquot fere sunt subjecta distincta, Dysenteria afflicta, quod ex Symptomatum indeterminabili varietate cognoscitur, ratio vero in diverso Temperamento, seu depravatis Elementis corporis ægroti, id est, in diversis Causis internis connatis confisit. Si jam delectaris novis observationibus, quo cunque anno, quibus cunque nundinis publicam in lucem editis, lege easdem diligenter atque diligentissime, deprehendes infallibiliter & re-
media

media magis aquosa , & remedia magis terrea , & remedia
magis lapidosa , & remedia magis salina & magis sulphurea , &
hæc iterum inter se diversimode , juxta diversam proportionem
mixta , aliquando egregia , imo optima fuisse antidyfenterica ,
cujus probationem aliam reddere non teneor , quam ut pro-
vocem ad rariores & pretiosas bibliothecas .

§. XXXVI.

Instas ergo lectio autorum hactenus tantæ estimationis
quæ fuerit , & librorum sedula emptio & collectio ab omni-
bus eruditis hactenus adeo commendata , hoc modo plane
vilesceret & evanesceret in totum ; absit , tale laudabile in-
stitutum plane evertere velle , hæc non est mens mea : sed
id saltem intendo , si fundamenta generaliora artis legitime
& debite constituta fuerint , ex iisdem magis sectire , a præ-
senti medico auxilium peti posse , ad ægrotum præsentem &
conquærentem restituendum , quippe si eadem , non juxta par-
ticularia mortuorum scriptorum consilia , sed juxta vivam ra-
tionem & sensum ad ægrotum applicet , cujus tamen
methodi medendi ac therapiæ integrum ac plenariam doctri-
nam , hoc loco tradere , meum non est , non enim mihi ex-
hibendum incumbit , quid docendum , sed quid ipse didicerim ,
quod brevissime occasione dyfenteria sic demonstratum ha-
beas : Incidunt tres in dyfenteriam satis molestam , qui per
triduum & tot noctes brumali tempore hilaritatum variis
speciebus indulserunt æqualiter , quorum primus insigniter &
ab externis & internis causis incalens , nocturno tempore
denudatus egreditur , & contra intentionem frigidiori in ae-
re diutius commoratur , revertens , quietus sese recipit seor-
sim recusans ulteriorem continuationem recreationis , conque-
rens de molestia abdominis dolorosa ; alter & tertius interim
debacchantur pro patria , vino spirituique vini nullatenus par-
cendo cum pro sanitate bibendum sit , sed brevi post & secun-
dus de dolore ventriculi ac intestinorum ardente , lancinan-
te rodenteque conqueritur anxie etiam temulentus ; tertius
denique per jocos rixasque , egregiæ puellæ præsentis defen-
dendæ causa , ad arma cum quarto prorumpit per iram exa-
gita .

gitatus, ut nec se nec alios noscat, consopitur tandem deduciturque cum reliquis antecedaneis duobus in lectum, ubi pariter se colligendo, ingemiscit de cruciatibus abdominis penetrantissimis, finita nocte ad surgendum singuli urguntur instanter ab alvi excretione stimulante, qua per aliquot horas saepius reiterat cum symptomatibus satis molestis, sic ut in triplici hocce subiecto se tandem manifeste exerat dysenteria, cum omnibus requisitis.

§. XXXVII.

Hic jam queritur, an unum idemque remedium in uno eodemque stylo autorum morbo, videlicet dysenteria datum sit, ad quod negative respondeo, quod sic probo: prior si simpliciter fluidum calidum aliquod exhibeat, ut insensibilis transpiratio circa abdomen suppressa restituatur, ac consequenter aciores Humores hinc intra intestina & cavitatem abdominalis in tantum collecti dissipentur ac per sudorem imminuantur, talem agrotantem facile à dysenteria liberari posse, monstrat modus fiendi laxionis, utpote refrigerium externum ab aere contractum, quo remoto & insensibili transpiratione restituta, internæ hujus excretionis depravatae cessare quoque debent causæ, & iisdem affectus: in altero vero subiecto, tale remediorum genus minus sufficiens erit, cum non tam ex refrigerio, quam potius spirituoso & calidiori potu longe diutius continuato, idem affectus productus sit, quare remedia, in ventriculo & intestinis adhuc fluctuantem potum talem calidum, simul temperantia propinanda erunt, ne tanta cum vehementia ad motum acceleratum porro suscitet & abripiat Principium Aëtivum sentiens substantiam intestinalium animans, ac motum intestinalium peristalticum præter naturam adaugeat, qualia verbi gratia esse possint terrea, gelatinosa & glutinosa cum simili potu calido fluido, ut per hacce temperantia, salsa salsa nimis commota mitigatione ac dilataetur, & diluta ac temperata per urinam excernantur partim etiam per sudorem: in tertio qui simul acida copiosius ingurgitavit, ac per iracundiam bilem

E

com-

commoverit adeo , ut ad intestina copiosius affluxerit , iterum aliorum remediorum classes combinanda erunt , & quidem non sub forma calida , sed potius sub forma potionis ex lapidosis quibusvis cum gelatinosis aquisque destillatis sine viño , grato odore atque sapore præditis , ut acidum per lapidosa commutetur in saltem , & bilis per gelatinam tempetur , & sic commutata & temperata ab aquis additis diluantur , dilutaque ad excretionem sine molestia contingente disponantur , in quali potionē tamen à syrups atque omni dulci abstinentium ; hoc modo in uno affectu triplex distinctum remediorum genus , eundem sortitur effectum , nimirum dysenteria ultimato sistitur propter diversas causas internas connatas , & diversimode a causis occasionalibus , superius distincte declaratis , in actum concitatas , diversum gradum inflammationis , ut morbum primarium introducentes : imo quid putas de alvi excretionē adaucta , non nunquam simul cum vomitu satis molesto in calculosis , dum calculus potissimum in renibus aut uretheribus cum lassione attentata substantia harum partium , & subfrequente dolore spasmatico se se moveat , tunc omnia superius commemorata remedia incassum adhibebuntur , & unicum anodynū cum fluidis propinatum , alvi hancce fluxionem pariter sistet , non immediate , sed mediate , spasmum nimium fibrarum rerum , vel uretherum relaxando doloremque mitigando , ut sic calculus liberius vel progredi , vel ad minimum ad alium situm disponi queat .

§. XXXIX.

Hoc modo & perplures morbos internos similiter resolutos causarum internarum connatarum existentia magis comprobata reddi posset , si limites Dissertationis id permitterent , verbi gratia nec Apoplexiā , nec Febres acutas , nec Malum Hypochondriacum , nec Pleuritidem , Passionem Hystericam , mensium vitia diversi generis , alias agnoscere Causas , quam hasce internas , saltem circa aliam atque etiam partem solidam operosas & substantiam partis lassentes ; unicum adhuc commemo-

memorare liceat, Epilepsiam nimirum, tam in adultis, quam potissimum in infantibus, in his enim magis manifestè tales causæ connatæ demonstrari possunt, quid enim magis hæreditarium omni homini, quam quod primois annis successive intra substantiam gingivarum, dentium delitescentium primordia ex humoribus concresentia, adeo vehementer & dolorose hanc sensibilem valde gingivarum substantiam & tunicam afficiant, ut ob hanc difficultem dentitionem nihil frequenter, quam concomitans symptomatica epilepsia, cuius morbi primarii causæ absolute internæ sunt, nam intra gingivas delitescunt, & connatæ sunt, nam ab extra nulla accedit ratio dentitionis homini contingentis; in quali epilepsia omnia ant epileptica remedia æque palliativa saltem erunt, quemadmodum in aliis symptomatis urgentibus adhibita mitigatione, quidquid autem hoc in casu prorruptionem dentium facilitate valet, illud ant-epileptici merebitur nomen, ita ut etiam ex fonte chirurgico instrumentum, tunicam gingivarum aperiens, epilepsiam curare poterit, & quid multa si homo epilepticus, scorbuticus, ictericus, scabiosus, purpuratus &c. diversis modis realiter morbosus nascitur quotidie, cur amplius dubitandum, quod causæ internæ morborum cum homine nascantur, et si non semper cum effectu sensibili conjunctæ existant, cum non omnis mater grava, semper tali morbo excessiva correpta, embryoni nascituro eundem communicare valet, quamvis nulla gravidarum vitiis humorum atque spirituum destituantur, ex quibus embryonis substantia, per tot menses perpetuo nutritur.

§. XXXIX.

Itaque causas quidem internas morborum hominibus connasci, haec tenus quantum occasio concederit, demonstravi, ast ne ita quis interpretari velit hoc assertum, quasi in alio homine nascantur non nisi causæ apoplexiæ, in alio epilepsiae, in alio passionis hystericae, palpitationis cordis, doloris capitis, ophthalmicæ, cataractæ, podagræ, passionis colicæ, hemorrhoidum &c. &c. necessario & absolute hosce effectus

produce[n]tes, haudquaquam, sed exdem causæ, possunt omnes introducere morbos internos, ut autem nunc hunc, nunc illum aut alium morbum efficiant, à causis externis dependet, quamdiu nimirum exdem perverse & inepte adhibentur, & quidem in specie circa hanc, vel illam partem solidam, interea successively internæ causæ in substantia ejusmodi partis retinentur, colliguntur, temperiemque talis partis pedetentim immutant, donec ultimato functio seu usus ejusdem partis turbatus, monstrat talem hominem agrotare, ex cuius partis laxa functione turbata, imo multoties & ut plurimum ex aliarum partium functionibus secundario saltet lassis, autores haec tenus morbi conceptum formare consueverunt, unde appetat tales causas internas non per se solitarie ideam-hujus, vel illius morbi, huic vel illi parti violenter imprimere, sed a causis externis, internas determinari & ab autoribus à circumstantiis externis accidentalibus, id est, symptomatibus morbum denominari, quare exdem causæ interna si ab aliis causis procatacticis seu primitivis externis, alio modo, ad aliam quandam partem successively determininatur, alium quoque producunt morbum, alio ab autoribus insignitum nomine, qui morbi tamen ratione formalitatis, id est, ratione harum causarum internarum iudicium fuit, licet ratione superficialis cognitionis facta denominatio, longe quid aliud significare debeat, verbi gratia: ut aperte loquar, qualem differentiam intercedere putas, inter passionem colicam vehementiorem, & inter apoplexiā, si a præjudiciis liberatus, ex rei formalitate judicare velis, certe nullam aliam, quam partium affectarum situm, conformatiōnem, denominationem & functionem, porro aliarum partium in consortium tractatarum symptomata alia atque alia, quod paradoxo sic resoluo.

§. XL.

Subito quis amittit omnes sensus externos, cum motu & loquela simul, pulsu & respiratione permanente atque colore faciei ordinario superfite, imo s[ecundu]m magis rubicundo subsequente, cum dentium stridore & clausula oris satis firma;

qualis

qualis mox pro Apoplectico renunciat: quo modo nunc Causæ internæ connatæ, ad Apoplexiā introducendam disponantur, monstrabit vitæ genus & per plures annos continuata Causæ Procatarcticæ seu Primitivæ, easdem necessario magis circa Cerebrum atque Principia Nervorum contigisse, & sic vitia Humorū ac Spirituum haec tenus libere circulatio, intra Calvariam determinasse, ut successive substantiam Principiorum Nervorum reddiderint lassam, & paulatim in sua functione magis minusve turbata, quare ab initio ejusmodi subjectis, dolores capitis diversi generis solemnes esse solent, molestus & turbatus Somnus, subsequentē nunc graviori, nunc leviori Vertigine, ac tandem Causis hisce internis connatis, nimium collectis & substantiam Cerebri & Principiorum Nervorum enormiter occupantibus, Sensuum internorum per intervalla turbationem & hebetudinem, ultimato summo in gradu Causis internis collectis, ad exteriora usque organa fesse hic effectus extendit ibidemque exerit, & Symptoma ab initio hujus Si. indigitata producit, quæ jam Autoribus Apoplexiæ descriptionem constituant; nisi nunc tales Causæ externæ, internas connatas ad Cerebrum Principisque Nervorum successively determinassent, nunquam tale subiectum Apoplecticum evasisset; sed si è contrario, circa primas vias, similes res non-naturales, idem subiectum diutius perverse admisisset, in specie circa intestina & abdomen interne & externe, eadem vitia Humorū ac Spirituum huc determinata, substantiam intestinorum corripuissent, & si in Colo intestino dolor specialiter subsequutus fuisset atrocior, Colicam, huncce affectum Autores nominassent; nam qualis sensationis species in tunicis intestinorum est, talis ad minimum, si non magis exquisitus, quoque tunicis Cerebri atque Nervorum competit.

§. XL.

Unde vitiosi Humores, sive in abdōmine, sive in Capite collecti ibidemque in actum excitati, irregularē motum Principii Activi Sentientis utrobique æqualem faciunt, cum

E 3

diver-

diversis symptomatibus, quæ jam diversa pars affecta & diversa symptomata, distinctum constituere vulgariter solent morbum, quippe intra Calvariam Apoplexiā, & intra Abdomen Passionem Colicam, quæ tamen adeo distinctissima genera Morborum, ex mente Autorum, adeo diversissima non esse, & ab effectu speciali utriusque hujus morbi æquali, & à priori à Causarum internarum conditione sensibiliter demonstrari potest; quod primum attinet, Apoplexiā effectus remanens, cessante Paroxysmo vehementiori, ordinarie solet esse Paralysis, hujus vel illius membra, quid tibi jam videtur, de per antiquorum Autorum observationibus Hippocratis verbi gratia Galeni aliorumque? qui ex Colica vehementiori æque, quam ex Apoplexia, Paralysis remansisse unanimiter testantur, certe, connexione quædam, inter Apoplexiā & Colicam intercedere debet, ratione hujus Phænomeni, quæ tamen nec in nomine, nec in descriptione Autorum monstrari potest, dicis, ex Cerebro Humores delabi ad intestina & Passionem Colicam introducere, & hanc Colicam, Paralysis efficiere, ac vice versa vapores colicos ex intestinis ad Cerebrum ascendere, ibidemque Apoplexiā excitare, & hoc modo pariter Paralysis, in subjecto colico produci posse; sed monstrabo tibi, connexionem hanc inter Colicam vehementiorem & Apoplexiā, quærendam esse, in identitate Causarum internarum connatarum, quæ talis est.

§. XLII.

Principium Passivum in utroque subiecto, à natura magis abundat partibus salinis, nunc magis salfis, nunc magis acidis, nunc magis acribus, nunc magis adstringentibus &c. quæ Salia singula, si jam circa substantiam intestinorum, in specie Coli sistuntur & colliguntur, ac quidem ut eo magis activa evadant, diluta sufficienter à Lympha intestinali, eandem pari modo vitiosam reddunt; Principium Activum ve-
to in ejusmodi subiectis, à natura magis semper inclinat, ad motum acceleratum: quæ Causæ internæ connatæ, à sex rebus non-naturalibus circa hasce partes, hoc modo deter-
minan-

minantur, I.) aerem frigidorem, si tale subiectum, ab extra circa abdomen, minus circumspete sapius admittit, infensis bilis transpiratio supprimitur, progressus Humorum impeditur & con sequenter intra abdomen, Humores colliguntur nimium, ac in specie non solum intra cavitatem intestinalis lympha intestinalis, sed etiam lympha, integrum intestinalum tractum, ab extra humectans: II.) omnis cibus & potus magis salinus, & motum acceleratum introducens copiosius ingurgitatus, ab intra hanc Lympham intestinalem reddit efficacorem, ut substantiam intestinalorum, in specie Coli, intimè afficiat, ac pariter magis acceleratiorem motum Principii Activi Sentientis insiti, id est, substantiam intestinalum replentis & animantis, excitet, quo modo, si sapius tales errores continentur, temperies intestinalium depravatur, seu ipsa Principia, substantiam intestinalium constitutientia, successive magis ac magis alterantur: III.) Motus & Quies in excessu instituta, pariter huc determinare possunt hasce Causas internas, praefertim circa abdomen specialiter, quocunque modo, commissa: IV.) Somnus & Vigiliae, cum immediate non attingant hæc intestina, etiam ad hanc Causarum internalium speciale determinationem nihil directe & immediate contribuant, nisi fortassis repletis intestinalis, intempestive quis vigilet, ubi dormendum, & dormiat, ubi vigilandum, unde Chylificatio, Chyli progressus, Secretio & Distributio vitiatur.

§. XLIII.

V.) Excreta & Retenta, alvina in specie, cum ad intestinalium genuinam Functionem pertineant, eò magis etiam Causas internas connatas, circa intestina colligere possint, si nimur non debite excernantur, sed obstructionibus diuisi durantibus, intestina hoc modo repleta, ab excrementis, & quoad quantitatem, & quoad qualitatem eorundem afficiuntur, siquidem ab excrementis intestina distenta, in suo motu peristaltico impediuntur, hinc fibris tubulosis compres sis & Humorum progressus impeditur, & Principii Activi sentien-

tientis, majori in copia affluxus suscitatur, ad liberandum se
se, ab hac Causa molesta; ratione qualitatis excrementa re-
tenta, non solum ad flatus gignendos materiam suppeditant,
sed etiam nunc magis biliosa, acria &c. intestinorum substanc-
tiā sensibilem moleste afficiunt; & si recte judico, ad ex-
creta & retenta, hunc affectionem non leviter promoventia,
quoque pertinet abusus, sive illicita, sive licita Veneris, in-
tegrum corpus defatigans & enervans, insigniterque intesti-
na alterans: VI.) Pathemata animi, iterum non immediate,
sed mediate ad hunc affectionem concurrunt, quippe, sive in-
testina fuerint repleta, sive vacua, motus Principii Activi
Sentientis vehementior intra Cerebrum originaliter susci-
tus, sese diffundit universaliter per omnes corporis partes,
ideo etiam ad ipsa intestina, quā haec tenus per diuturnius
temporis spatium, à reliquis rebus non-naturalibus antece-
daneis, per determinationem Causarum internarum, in sua
temperie, jam jam successively alterata sunt, & sic facilius à
motu irregulari Spirituum influo, de novo alterantur, quam
reliquæ partes, ab hac Causarum confluxu & cooperatione
liberæ; longe major autem, talis alteratio intestinorum ex Pa-
thematibus animi contingit, si nimium repleta fuerint, cum
eo ipso jam & motus Humorum & Spirituum per se irregu-
laris existit, intestinis quippe à contentis, distentis: si jam
quis per aliquot annos, dicto ordine, circa res non-natura-
les quotidie contingentes, erroneè versetur, tandem substantia
intestinorum successively per hoc tempus corrupta, ultimato
ab una harum rerum nominatarum affecta, non adeo enormi-
ter, tandem cum horrendis Symptomatibus, morbum speciali
nomine insignitum concipit, manifestumque per Symptoma-
ta reddit, sub nomine Colica Passionis; non quasi hoc ulti-
mum refrigerium lenius, aut excretio non adeo diu detenta,
Passionem Colicam generaverit atque effecerit, sed saltem,
quod diu jam jam deliquerit, id hac occasione saltem in a-
ctum deductum sit, unde etiam talis res non naturalis ulti-
ma, Causa Occasionalis jure meritoque appellatur, & quali-
bet

bet res non-naturalis talis evadere potest: ubi tamen cavaes sedulo, ne præcipitanter judices, in determinanda tali Causa, si enim in tota Medicina quid difficile occurrit, certe, hic Causarum harum ordo & connexio est, quæ usque ad Causam Occasionalem five ultimam demonstranda, accuratam & fundamentalem Temperamenti ægroti, vitæ antecedanæ generis, præsertim autem genuinæ Causæ Occasionalis cognitionem postulat, ratio, quia plures tales Causæ ordinarie simul concurrere possunt ac solent, non tamen æque manifestæ atque sensibiles. Hæc cum grano salis, applica ad Apoplexiæ & habebis superius promissam, inter hanc & Colicam Passionem connexionem, eandem non momentaneè & ab ultima Causa Occasionali primo intuitu magis apparente, fieri, sed longe aliam sui modi fiendi seriem postulare,

S. XLIV.

Imo ne admireris, quod hic de Passione Colica & Apoplexia assuerim, dicam plura, exdem Causæ internæ connotatæ, brevi superius commemoratæ, in omnibus partibus corporis solidis, si non quoad nomen, tamen quoad formalitatem, similes morbos internos producere possunt, si nimirum tale subiectum, per plures annos, easdem, per pravam contuetudinem rerum non-naturalium nunc ad has, nunc ad alias partes solidas successive determinaverit, & cum raro quis, satis tempestive intelligat & cognoscat, quid sibi hæc Causarum internarum determinatio velit, ac quomodo satis circumspæcte & secure, circa res non-naturales quotidie contingentes versari debeat, hinc jam amplius non mirum, quod ordinarie homines, postmodum plurimis morbis simul corripiantur, quia errores in Diæta, non unius generis committunt, circa diversas partes internas & externas successives, ita, ut fæpe Medicus hæreat in ambiguo, ubi in tali Syndrome Morborum inchoandum, aut ubi terminandum, meditando, & curando, donec ex perversa hactenus recepta indicatione curatoria seu ex morbo desumpta, meditationum confusarum & observationum

F

partu-

particularium incertarum plenus prolabatur ad monstrosas formularum species, omnibus & singulis morbis simul concurrentibus, appropriata in se continentis ingredientia, cui laboriosa ambiguitati, ægroto periculosæ & medico damnoſæ, facile obyiam eundum, si non tam ad nomina morborum, quam potius ad cauſarum internarum connatarum specialem differentiam & connexionem, juxta vera fundamenta generaliora artis attentus fuerit, easdem non empirice praetice, quoad particularem vel aliorum, vel propriam experientiam, sed realiter physice, quoad eorundem proprietates naturales, præter naturaliter excedentes, examinando & perscrutando, sic deprehendet, ejusdem generis medicamenta, pluribus mederi morbis, diversis in partibus solidis existentibus, ac diversis nominibus insignitis, ex iisdem tamen Causis internis provenientibus, cum hoc prudenti discrimine, ut ejusdem generis medicamentorum modum applicandi, & gradualem differentiam, respectu diversi situs & structuræ cujuscunque partis solidæ affectæ, convenienter dijudicet, quomodo multoties, & magis cito, tuto & jucunde ægrum non solum à morbis internis, sed etiam (quod afferere non erubesco) tunc à morte liberare poterit, quando loco medicamentorum, hasce causas internas connatas adaugentium & magis commoventium, morbis nominaliter oppositorum, remedia causis morborum internorum realiter opposita rationaliter adhibuerit.

S. XLV.

Nunc L. B. tuum erit amice dijudicare, an meæ promissiōnē & tuæ expectationi satisficerim, hac thematis propositi elaboratione, quod CAUSÆ MORBORUM atque MOR-TIS NOBISCUM CONNASCANTUR, QUÆ SIT EA-RUNDEM ORIGO, QUIS AUTOR, ET QUÆNAM CAU-SA. Evidem novi non omnes æqualiter judicaturos, quos tamen facile excusatos reddam, non ex malitia & levitate ingenii id fieri, sed cordate regero, ex hac ipsa causarum inter-

internarum connatarum, seu Principiū Activū sentientis & Principiū Passivi peculiari constitutione & imbecilitate vitiosa naturali, quæ temperamentum corporis & mores animi dirigit, si non sufficenter emendata fuerint, non solum moraliiter sed etiam phisice; & quomodo possibile est, ut de omnibus æqualiter judicent omnes, cum non omnes, uno eodem modo, æqualiter afficiantur ab omnibus & quibuscumque objectis, ratio, principia hæcce vitiosa nobiscum nata, non eadem sunt in omnibus & consequenter nec idem eorundem in omnibus effectus, id est, modus sentiendi & percipiendi, & si nullo alio, dispositionem imbecillitatis nostræ contatam cognoscere velimus, & animi & corporis, ad minimum quoad prius, ex diverso hominum modo cognoscendi & judicandi tibi invicem ubique contrario; quoad posterius autem ex eo, quod si intra nos quarimus, unde sumus, & ubi nostri sunt genitores? Resp. mortui, instas, quare? & iterum Resp. quia à parentibus mortalibus geniti, usque ad primos retro genitores, en mortalitatem, per tot secula insalibilem probationem & asserti mei confirmationem suppeditantem! quisquis ergo legis & judicas præsentem morbosum & mortalem statum corporis nostri, a me hac in xate descriptum, ita judica, ultra posse nemo obligatur, feci quæ potui: si tu morti jam fortassis propinquior, causarum morboſcarum morborumque realem experientiam, & magis exactam cognitionem, in & è proprio obtinueris corpore, fac, declara, publica, communica, mortales obligatos tibi reddes, usque ad
MORTEM.

S. D. G.



DIS.

DISSERTATIONIS HUJUS INAUGURALIS
PRÆSES,
Nobilissimo atque Experientissimo Domino
MARTINO LAURENTIO FISCHER,
Mariæburg. Boruſo,
Medicina Doctiorando Dignissimo,
Pro
LICENTIA DISPUTANTI,
Acclamat FELICITER!

UTique ridendus altoque cachinno excipiens esset su-
tor unum cuvis pedi adaptaturus calceum: Nec injuriā
vel sibilo exploditur sancta Medicorum illorum sim-
plicitas, qui nil nisi Panaceas crepant, thecas medicamenta-
rias, nescio quibus pilulis polychrestis, pulveribus præcipi-
tantibus, antipasmodicis, & tinturis solaribus refertas, di-
vendunt, nimium credulos in hanc persuasionem inducentes,
se possidere validas ad morbos quosvis, imo mortem ipsam abi-
gendum catapultas: Verum, meliora edocti, pia hæc, si Diis placet
monopolia detestamur; quin potius suo quemlibet ægrotum
metiri jubemus modulo. Quod cum etiam a Te, Nobilissi-
me Domine DOCTORANDE, in erudita hacce Dissertatione
observatum video; merito Tibi de egregio specimine, & mox
subsecuturo honorum supremorum piscatu gratulor ex animo:
Nec minus, Præcellentitudo Præceptoris, Dn. Tautio, Viro utcun-
que extra Professoriam Spartam degenti, Professoris tamen me-
ritis, & rarissimi ingenii laude insigniter claro, de auditio-
re, vestigia hæc erudita tam pulchre legente. *Piscatur in aere*
nemo, qui sic piscatur. DEUS te servet, propitiosque largiatur
Viales! Vale.

Dab. e Muf. die 18. April.
 anni 1720.



01 A 6515

ULB Halle
002 932 091

3



WPA

635



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
inches



Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE EO,
**QVOD CAUSÆ MORBO-
RUM ATQVE MORTIS NOBIS-
CUM NASCANTVR,**

QVAM,
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
BENEVOLO CONSENSU

IN PERANTIQA ERFURTENSIMUM ACADEMIA,
SUB PRÆSIDIO

**DN.D.JOHANNISANDREÆ
FISCHERI,**

CONSILIARI ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. FACULT. MED. SENIO-
RIS, PATHOLOG. ET FRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED.
PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SUI COLENDISSIMI,

PRO GRADU
IN ARTE SALUTARI MEDICA SUMMO
LEGITIME ETRITE OBTINENDO MORE MAJORUM

PUBLICE DEFENSURUS PROPONET

AUTOR

MARTINUS LAURENT. FISCHER,

MARLÆB. BORUSS.

AD DIEM XIX. APRILIS, ANNI cl. lccc xx.

IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSuetis.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academia Typographi.